

1487 fuga se abstinuerant, per montium invia, superatis jugis, nonnulli naviculis excepti ad Roveretum redierunt: ex quibus fuit Rubeus, qui se atque suos magno labore noctu flumen trajecit. Interfecti ex Germanis permulti, non incruentam suis eam Venetorum cladem fecerunt. Veneti complures dies reintegrandis copiis consumpsérunt: neque interea Germani iis in locis quidquam moverunt, quando clade non multo leviore accepta quam illata, exercitu & ipsis reparando opus fuit. In Vicetinis tamen & Feltrinis Alpium jugis, atque in Benaci lacus regione, ea manu quam confidere per occasiones poterant, utriusque sæpe congressi, cæde facta, castellisque aliquot vel captis vel incensis, sese invicem inferendis cladibus intentos paratosque tenuerunt. Arcum autem municipium, quod quidem abest tria millia passuum a Benaci littore, magnis & obfessum antea & expugnatum viribus, cum propterea quod ei bello causam dederat, inita de finibus altercatione cum vicinis sibi in ora lacus populis, Sigismundoque ad arma capienda incitato, tum quod ejus oppidi principes Veneti hostes nominis existimabantur, senatus incendendum & diruendum censuit. Burgius interea proditionis apud Decemviros accusatus, quod pontem ad Callianum, ut exercitum in fraudem conjiceret, dolo malo propulisset, atque in vincula conjectus, Marci Beatiiani senatus scribæ, qui ei bello cum legatis interfuerat, testimonio absolutus est, ordinibusque redditus.

Miserat ante eos dies ad Sigismundum Innocentius Roma Paridem Episcopum Auxini, qui eum hortaretur, uti bello finem imponeret: *non esse tempus, imminentे regno Italiae & Romanis rebus Turea*, ut duo potentissimi ad illum repellendum populi levissimis de causis armis inter se decertarent, odiisque mutuis contererentur: *ipso arbitrio suarum cum Senatu Veneto discordiarum*, si vellet, uteretur: *se ei pro rerum æquitate non defuturum*. Is apud illum Legatus dies aliquot tractandis pacis conditionibus fuit. Venetias deinde cum mandatis est profectus: quibus a Senatu non probatis, re infecta Romam rediit de mente